

01

A

6578





Sammelbd. 4

1001

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18



21

DISSERTATIO  
IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**A L L O D I O**  
EIVSQVE  
SEPARATIONE A FEVDO

---

QVAM  
PRAESIDE  
**GODOFRIDO LVDOVICO**  
**MENCKEN ICTO**  
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI A CONSILI  
IS AVLAE ET IVSTITIAE AC IN SVMMO PROVOCATIONVM  
IVDICIO CONSILIARIO ANTECESSORE ET COLLEGIORVM  
IVRIDICORVM VITEMBERGENSIVM ATQVE IVDICII PROVIN  
CIALIS IN INFERIORE LVSATIA ASSESSORE  
PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQVENDIS  
IN AVDITORIO MAIORI  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
AD D. IVN. MDCCXLIII

DEFENDET  
**FRIDERICVS WINCKLER**  
LIPSIENSIS MISNIC.

---

VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD  
ACADEMIAE A TYPIS



DISSERTATIO  
IN A. G. R. A. L. I. S. I. V. E. L. I. C. A.  
DE  
A. L. T. E. R. I. O  
D. I. S. S. O. V. E.  
SEPARATIONE A. F. E. V. D. O.

Q. V. A. E.  
P. R. A. E. S. I. D. E.  
G. O. D. O. F. R. I. D. O. I. V. D. O. V. I. C. O.

M. I. N. I. S. T. E. R. I. I. I. C. O.  
P. O. T. E. R. T. I. S. S. I. M. O. P. O. S. T. U. L. A. M. R. E. G. I. A. C. O. N. S. I. L. I.  
I. S. A. V. E. R. I. T. A. T. I. O. N. E. I. N. S. V. M. I. O. P. R. O. V. O. C. A. T. I. O. N. I. M.  
I. V. E. N. I. T. I. O. N. E. X. P. E. R. T. I. S. S. I. M. O. C. O. N. S. I. L. I. T. A. T. I. O. N. I.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. P. R. O. V. O. C. A. T. I. O. N. I. S. I. N. S. V. M. I. O.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. P. R. O. V. O. C. A. T. I. O. N. I. S. I. N. S. V. M. I. O.


P. R. O. S. V. M. I. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.

I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.

I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.

I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.  
I. N. A. T. R. O. O. V. E. R. I. V. E. H. O. N. O. R. I. B. U. S.





DISSERTATIO IURIDICA  
INAUGVRALIS  
DE  
**ALLODIO**  
EIVSQVE  
SEPARATIONE A FEVDO

---

§. I



Quamuis ipsa exigat ratio naturalis, ut  
sua sponte quisque alteri suum tribu-  
at, interdum tamen, experientia te-  
ste, occupasse mortalium animos vi-  
tium illud, cui nomen est avaritia,  
quod fidem, probitatem, ceterosque  
bonos subuertit mores, animaduerti-  
mus, ut, quod alteri iure perfecto debent, certe praestare

A 2

et



et exhibere recusarent, nisi quaedam accederet uis, quae ipsos compelleret, eorumque arctius constringeret uitas. Ideo, cum Imperator Iustinianus hoc senserit, regulam illam, suum cuique tribue, non praeceptis solum iuris accensuit, §. 3. *Inst. de Instit. et Iur.* sed et, cum legislatoria illa Iurisprudencia, et reipublicae totius, et ciuium singulorum uilitatem respiciat, atque pro fine habeat, ut omnibus in casibus obuientibus quisque consequatur suum, undique pro uiribus cauit.

## §. II

Atque ex hoc iuris praecepto deducimus Ius illud separandi, et rerum coniunctarum separationem petendi, de quo nobis in praesenti dicendum est, et quo se nostra uerit disputatio. In eo enim uersatur separationis finis, ut, rerum siue bonorum diuersitate cognita, iureque unius cuiusuis competente accurate considerato, quisque suum, quod ipsi perfecte competit, legitime nanciscatur. Sed separatio praesupponit coniunctionem quandam siue communionem, atque causae cognitionem. Igitur eius uoce generaliter spectata, per illam, actum, quo ea, quae coniuncta sunt, uel quodammodo confusa, rerum diuersitate sufficienter perspecta, secernuntur et seiunguntur, significamus.

## §. III

Dari quidem ratione obiecti separationes diuersas, atque hanc uocem in iure nostro de uariis accipi rebus, est,



\* \* \*

V

est, quod dubio caret. Ita enim fructus separari a fundo, *l. 13. inf. Quib. mod. Vfusfr. amitt.* de separatione coniugum, *C. 2. 3. X. de Diuort.* similiter, quod creditoribus defuncti, herede eius, debitis propriis simul laborante, soluendo non existente, beneficium, separationem bonorum defuncti a rebus heredis petendi, competat, *l. 1. §. 1. de Separation.* legitimus. Sed, cum in praesenti in bonis Vasalli sumus occupati, hicque cum feudo bona, titulo ad transferendum dominium habili acquisita, iure allodiali censenda, possideat, imo quoque nemo Vasallorum, existat, qui non simul cum re sibi in feudum concessa, allodia teneat uel relinquat, nunc ex instituto de Vasallo tam feuda quam allodia habente, et quomodo horum bonorum accurata iurisque conueniens instituenda sit separatio, dicemus, quidque in hoc argumento ad disputandum proposito, nobis notatu uidebitur dignum, commemorabimus. Enim uero, ut ordine procedamus, atque eo melius de illo, de quo disceptetur, constet, initio de Allodiis quaedam monebimus, dein casus, huc tamen pertinentes, pertractabimus, extremo de separatione feudi ab allodio agemus.

#### §. IV

Igitur, cum in principio nobis dicendum sit de Allodio, eius uoce res omnes, quae liberae sunt, atque in plena proprietate nostra siue dominio, nec sub lege fidelitatis possidentur feudisticae, significamus. Libera nominamus Allodia, non quod omni plane exempta sint dominio, sed quia eorum possessoribus libera de illis relicta est dis-

A 3 ponen-



disponendi facultas, haecque nexu quodam feudali nemini sunt obligata, dominio tamen superioris summo et eminenti subiecta. Sed ad Feudi uocabulum quod attinet, dicitur illud ab his, qui de hac honorum specie scripserunt, pariter et in Iure Clientelari Communi, Beneficium, *I. F. 1. §. 2. 4. I. F. 14. pr. II. F. 23*, et uariam quoque habet illa in lege significationem, atque modo accipitur certe diuerso, quo pertinent ea, quae legimus *I. F. 1. 4. 8. 25. II. F. 3. II. F. 8. pr. II. F. 1. 9. 24. 33. 34*. At uero, si pro ipso iure in re feudali per contractum et traditionem constituto sumitur, HORNIO *Iurisprud. Feud. Cap. II. §. 7*. duce, quando ad Dominum respicimus directum, ius, in re plenissime utenda fruenda ex beneuolentia Domini, sub conditione mutuae fidelitatis feudisticae concessa, reseruatum, respectu autem habito ad Vasallum, Ius, in re plenissime utenda fruenda ex Domini beneuolentia, sub mutuae fidelitatis feudisticae conditione accepta, per inuestituram acquisitum designat. Quatenus autem pro hoc ipso, quod Vasallo in feudum concessum est, accipitur, rem illam, quae fidei causa, certo sub modo, Vasallo utenda fruenda traditur, significat.

## §. V

His positis, rem ipsam aggredimur. Semper Vasallus, ut diximus ante, praeter feudum tenet allodium, et post mortem utrumque relinquit. At uero tantum abest, ut existimemus, omnia, quae possidet, nomine accepti Beneficii comprehendi, atque huius induere naturam. Sola enim



enim Vasalli possessio rerum allodialium illud non efficit, sed potius inuestitura in feudis consueta et legitima. Interdum etiam, casu obueniens, id ipsa exigit necessitas, ut res Vasalli allodiales ab his, quae ipsi in feudum concessae sunt, inuicem separentur. Inde, quo certius hoc euenire possit, opus est causae cognitione, ut eo facilius et melius quisque consequatur suum, quod sibi perfecto iure debetur. Igitur ius separandi feudum ab allodio in facultate consistit, ex iure et lege quaesita, qua rei feudalis atque allodialis diuersa instituitur ratio, ita ut confusio, ex persona Vasalli possidentis orta, prorsus tollatur, et utriusque conditio et qualitas separatim consideretur.

## §. VI

Antequam uero ulterius progrediamur, atque, in quo res nostra uersetur, exponamus, operae pretium est, paucis hanc quaestionem, quid in dubio praesumatur, allodium nempe, an feudum, attingere, cum et illius indagationem uberiolem a scopo nostro alienam non esse sentiamus. In decidendo hoc ad disputandum proposito argumento, merito, nec absque causa sufficiente, sequimur sententiam illorum, qui bona regulariter allodialia, atque in dubio pro his esse accipienda, existimant. Nam si origines spectamus dominiorum, primis temporibus res quilibet nullius, atque mortalium quemque, medio occupationis, rerum earum fuisse plenissimo iure dominum factum; postea uero gentes incepisse, circa res quasdam specialioribus uti iuribus, et praedia dare in feudum, animaduerti-

mus.



mus. Igitur cum fuerint allodia, antequam existerint feuda, atque, respectu habita ad fontem dominiorum, homines initio res in potestatem et possessionem suam redegerint iure plenissimo, praeterea magis allodia, quam nexu feudali obligata bona, ab hominibus possideri uideamus, atque in dubio autem illud, quod plerumque, frequentius et regulariter sit atque existat, conicere suadeat PAVLLVS *l. 114. de Reg. Iur.* certe consequitur, bona quaelibet tamdiu permanere allodialia, usque dum contrarium, et qualitas feudalis asserta, probetur.

## §. VII

Equidem credimus, sufficienter constare de ueritate nostrae sententiae; addemus tamen et aliud argumentum ab inuestitura atque praescriptione, quam inuestiturae loco esse, communiter fertur, petitur. His enim modis constitui feuda, docet HORNIVS *Iurisprudencia feudali Cap. XI. §. 1.* Sed utrumque est facti. Igitur, cum nullius certe narrationi nudae et simplici in rebus in facto consistentibus habeatur fides, satis clare apparet, hunc qualitatem feudalem, quae eam rei inesse affirmat, probare debere, sicque fundum et quodlibet bonum praesumi tamdiu allodiale, donec asserens contrarium accurate demonstraret et doceat conuenienter. Accedit postea, quod feudum ad Vassallum non iure plenissimo pertineat, potius dominium habeat cum domino directo commune. *II. F. 8. uers. Rei: II. F. 55. II. F. 23.* Quod certe in prima illa rerum occupatione non nititur, cum tum temporis homines



nes in rebus, quae fuerunt nullius, hoc medio, sibi ius quaesiverint plenissimum, potius trahit originem ex speciali quadam mortalium dispositione, quae facti est atque docenda.

### §. VIII

Discederemus ab hoc loco, nisi adhuc superesset, ut hanc nostram Allodii praesumptionem expressa quoque esse firmatam lege, ostenderemus. Litem motam fuisse inter Vasalli defuncti filiam, et Agnatum, de praedii cuiusdam possessione, filiamque rem illam litigiosam allodiam, e contrario Agnatum feudalem nominasse, et filiam ultimi possessoris obtinuisse in causa, animaduertimus. *II. F. 26. §. 1.* Operae pretium est, ut legis illius adiiciamus verba, quae ita concepta sunt: „ Inter filiam defuncti et „agnatos eius, de quodam praedio mota est quaestio, agnatis feudum, filia vero allodium siue libellarium esse, asserentibus, super possessione, apud quem manere debeat, „quaerebatur. Responsum est, apud filiam possessionem „interim esse collocandam. „ Ex quibus omnino consequitur, allodii praesumptionem fuisse causam decisionis.

### §. VIII

Nunc de ipsa feudi probatione, et cui haec iniungenda sit, dicemus. Quod illi, qui qualitatem rei inesse feudalem asserit, ut affirmanti incumbat probatio, merito ex fonte deductae praesumptionis fuit. Atque illud simul est dispositum in Iure Clientelari Communi, quod probatio

B

batio





bationibus deficientibus, res per iusiurandum, causa cognita, sit decidenda, et hic concedenda Agnatis electio. II. F. 26. §. 1. Sed conferri meretur, quod Serenissimus Saxoniae Legislator constituit in *Decisione Electorali XXXVII.* ibi: So ist unser Will und Meynung, daß bey einfallendem Streite und Zweifel, zwischen denen Agnaten und Töchtern das Stück Guth, woserne der Agnat nicht in continenti, daß es Lehn sey, bescheinigen kan, nicht allein vor Erbe gehalten, sondern auch denen Töchtern vor denen Agnaten die Posses desselben eingeräumet, sie darinnen so lange, bis der Lebens-Folger ein anders, wie Recht, gnugsam ordentlicher weise ausführet, geruhiglich geschüset und gelassen werden sollen. Ex his igitur legis domesticae uerbis clare, credimus, apparet, semper onus probandi, quod fundus feudalis sit, negata hac qualitate, pertinere ad Agnatum, uel illum, qui hanc affirmat, atque, si in probatione defecerit iste, cui haec incumbit, fundum esse reputandum pro allodio. Nec quicquam hic interest, utrum de toto praedio, uel eius parte quaeratur. Hoc enim non uox illa solum: Das Stück Guth, sed et ipse causae status Decisioni Electorali praemissus sufficienter demonstrat.

## §. X

At uero ius illud in re Vafallo quaesitum non ex ipso feudali oritur contractu, potius ex inuestitura, et quidem illa, quae est in feudis consueta atque legitima. Tantum enim abest, ut existimemus, rem illam esse feudalem, de qua



qua quis est inuestitus. Vimur uerbis prioribus non absque causa. Nam quod homines de bonis etiam Emphyteuticis, pariter et allodialibus inuestiantur, uidemus. Interdum etiam occurrit, ut, qui de feudo ad se deuoluto fuerit inuestitus, simul et rem quandam allodiam, titulo tamen ad transferendum dominium habili acquisitam, atque ad se pertinentem immiscuerit feudo. Verum, quod et illa sit feudalis, admodum dubitamus. Nam ut res quaedam, quae habet Allodii naturam, fiat feudalis, non sola immiscensis sufficit uoluntas, sed praeterea Domini directi requiritur consensus, et quidem expressus. Igitur certe necesse est, et legibus conuenit, ut Vassallus, qui allodii mutationem in feudum intendit, causam ad Dominum deferat, qui eam cognoscat, qualitatem allodiam rei adimat, atque illam feudo, ut eius partem, expresse adiiciat, tandem Vassallum simul de hac re ita in feudum rite conuersa in specie inuestiat.

## §. XI

Sed ne quis nos absque lege ita sensisse existimet, operae pretium erit, in huius argumenti explicatione haerere ulterius, pariter et indicare, quibus sit confirmata legibus sententia nostra. Non enim potest apud nos Saxonum Principi, qui his in terris Dominus directus simul est, semper constare, de omnibus feudi partibus. Igitur ne Vassallus, rebus iure feudi censendis, res quasdam allodiales, inscio Domino, immisceat, et ut faciliori negotio nouae literae inuestiturae confici, atque omnis con-





confusio et lis evitari queat, expressa sancitum est lege, ut Vasallus inuestituram petens, res quaslibet feudales designet, qualitatem assertam feudalem probet, et, quo certius constet, literas inuestiturae antiquiores simul cum nouissimis exhibeat, nec minus, si Vasallus, ut res quaedam allodialis redigatur in feudum, cupiat, causam ad Principem, ut Dominum directum, deferat. Hoc quidem concedimus, quod possit iungi res allodialis feudo, tanquam feudalis. At uero, ut hoc cum Domini fiat consensu expresso, rite et legitime, atque Vasallus simul de illa in specie inuestiatur, necesse est.

### §. XII

In testimonium uocamus Mandata Saxonica Electoralia, quae huc pertinent, et ut de singulis, quae supra commemorauimus, fiat unicuique fides, eorum uerba adiciemus. Initio nobis occurrit Mandatum, quod prodiit *d. 1. Iun. Ao. 1657*. Audiamus eius uerba: Nachdem wir auch zum vierdten vernehmen, daß bey hochseligen gedachten unsers Heren Vaters Gnaden Regierung gar viel Lehn-Brieffe ungesertiget, und derselben Concepta zum Theil bey denen Lehn-Leuten selbst, theils aber in unsern Aemptern zurück blieben, aus Ursachen, daß dieselben Vasallen entweder in die neuen Lehn-Brieffe mehr als in denen vorhergehenden begriffen, hinein gerücket haben wollen, oder wegen ihrer Mitbelehnten, Erbtheilungen und anderer Ursachen sich aufgehalten; so erklären wir uns hiermit ausdrücklich, daß wir von  
denen



denen Materialibus in denen neuen Lehn-Brieffen mehr nicht, als was in denen vorgehenden exprimiret, passiren lassen können. Daferne aber einer oder der andere ein mehrerer auszuführen vermeynet, derselbe kan deswegen um gewisse Commissarios unterhänigst ansuchen, und derselben Bericht oder Proceß einsenden; soll er sodann nach Befindung mit solchen Stücken absonderlich beliehen, und in künfftigen Lehn-Brieffen dieselben mit exprimiret werden. Huc quoque referri merentur, quae legimus in Mandato Electorali Saxonico d. d. 21. Sept. An. 1657. In hoc enim Serenissimus Saxoniae Legislator ad prius, cuius uerba adiecimus, non respexit solum, atque illius fecit mentionem, sed et praeterea: Daß diejenigen Lehen-Leuthe, so ihrer Lehn-Güter und Mitbelehnsschafft halber sich annoch gestellen sollen, für allen Dingen, wo nicht in einer förmlichen Supplication, doch zum wenigsten in einen offenen von ihnen unterschriebenen Memorial, diejenigen Güther, Lehns-Baarschafften, und andere Lehen-Stücken, daran sie die Lehen oder gesamte Hand suchen, ordentlich specificiren, und solche Specification mit richtigen Lehen- oder Muth-Zedduln, auch Lehen-Brieffen in originalibus alsobald bestärcken, darbey aber 2) nicht nur alte, sondern die neuesten, uf die jüngsten Fälle gerichtete Documenta produciren, oder da dieselben verlohren, bey unserer Cankelen 3) beglaubter Abschrift vorhero sich erholsen, und solche beylegen. Ingleichen auch 4) wegen der abgeleitren Mitbelehnnten und derrerelben nachgelassenen Lehens-Erben, auch was



sonst etwan in denen neuen Lehen-Brieffen zu ändern nöthig, richtige Verzeichnüße mit eingeben, und darinnen Jahr, Monath, und Tag, wann einer oder der andere Todes verblichen, so viel möglich, mit exprimiren. Wo aber ganz keine Lehen-Brieffe, weder bey ihnen noch in unserer Canzley vorhanden, 5) über ihre Güther und Lehn-Stücke gewisse Erb-Register vor Notarien und Zeugen aufrichten, und in forma probante zu unserer Confirmation, damit die Lehen-Brieffe desto sicherer darauf fundiret, und eingerichtet werden mögen, einsenden: iussit. Quibus merito iungimus, cum admodum ad institutum pertineat, Mandatum illud Electorale Saxonicum, quod d. 12. Nouembr. Ao. 1691. prodiit, cuius uerba, quae huc spectant, ita concepta sunt: Wir erklähen uns aber hiermit ausdrücklich, daß wir in denen Lehen-Brieffen von Materialibus mehr nicht, als was in denen nächstvorhergehenden exprimiret, passiren lassen können, es wäre denn, daß es solche Stücken betröffe, so durch ausgebrachte Commission gnüßlich untersuchet, und ausfündig gemacht, oder durch confirmirte Kauffe zum Haupt-Guthe gebracht, und zuförderst absonderlich in Lehn genommen worden, welche alsdann dem Lehn-Brieffe einverleibet werden können, massen denn hingegen auch diejenigen Stücken, so nach der Zeit von einen oder andern Guthe abkommen, nicht weniger angemeldet, und aus denen neuen Lehen-Brieffen gelassen werden sollen: Ex quibus, ut credimus, satis apparet, rem non esse feudalem, nec feudi constituere partem, nisi de omnibus illis requisitiis,



fitis, quae ante recensuimus, accurate et sufficienter constet.

### §. XIII

Sed nunc res illa agitur, ut perpendamus, utrum possit ex literis inuestiturae, rem esse feudalem, quoddam probandi deduci argumentum. Cum hoc instrumentum inuestiturae, negotium inter Vasallum et Dominum directum gestum, significet, res uideatur esse in ancipiti, num certa ab eo queat desumi probatio. Sed res est salua. Qualitas rei in lite uersatur, si inter heredem defuncti et nouum feudi successorem de re quadam contentio oritur, atque hic esse feudalem, ille allodiam, asserit. Et literae inuestiturae eum in finem conficiuntur, ut de legitime peracta inuestitura, simul et de feudo, et omnibus eius partibus eorumque finibus accurate et in specie constet. Inde, quod ad literas super inuestitura, rite tamen et legibus conuenienter conscriptas, possit confugere, atque ex his reperere argumentum, qui rei inesse qualitatem feudalem adstruit, recte STRUVIUS *Syntagn. Iur. Feud. Cap. XVI. §. 14.* concludit.

### §. XIII

Exposuimus igitur, quid Allodium, quid Feudum sit. Nec minus diximus, rem tamdiu esse censendam allodiam, usque dum probetur contrarium. Ideo nunc obseruari merentur singulares illi bonorum allodialium casus. Separatio Feudi ab Allodio praesupponit causae  
cogni-



cognitionem. Ita, ut eo commodius de separatione illa  
 agi queat, quarundam rerum explorabimus indolem at-  
 que naturam. Nam interdum res, de qua quaeritur, ita  
 est comparata, ut, minimum primo intuitu, non pateat, at-  
 que sit in ancipiti, ad quam bonorum speciem queat refer-  
 ri. Igitur initio de fructibus feudi quaedam commemo-  
 rabimus. Ad fructus quod attinet, si late considera-  
 mus, omnem utilitatem ex re fructuaria uel eius oc-  
 casione prouenientem designant. *L. 24. de Usu et Vsu-  
 fruct. legat.* Sed si fructuum diuisiones, quatenus ad  
 institutum pertinent, spectamus, ex rei corpore ori-  
 entes, naturales, eius autem occasione perceptos, ci-  
 uiles dici, at uero naturales illos, si hos natura, homine  
 nihil uel parum cooperante, produxit, naturales in specie  
 sic dictos, e contrario, si ex rei corpore, non tamen sine  
 hominis facto proueniunt, industriales, cohaerentes cum  
 solo, pendent, sed ab illo seiunctos, separatos, atque a  
 corpore separatos, perceptos nominari animaduertimus.

## §. XV

Interdum feudo finito per mortem Vasalli, sicque re-  
 uerso ad Dominum, uel deuoluto ad Agnatos aut simulta-  
 nee inuestitos, oritur contentio inter Vasalli defuncti he-  
 redes allodiales eiusque successores feudales, de fructibus  
 feudi. Quinam igitur ex his, iure allodialium censendi sint,  
 et qui transeant ad successores feudales, nunc dicemus. Il-  
 lud certe est expeditum, nec indiget dubitatione, quod fru-  
 ctus



ctus a Vasallo separati a solo, atque conuenienter percepti, uere tamen uel ficte extantes, iure hereditario ad quoscunque eius pertineant heredes, cum in eo omnium conspirare uideamus iudicia. Enimuero de fructibus nondum perceptis atque pendentibus, quibus illi post obitum Vasalli obuenant, differendi, amplissimus nobis aperitur campus. Sed ut iudicium legibus conueniens et accuratum formari queat, operae pretium est, indagare iurium diuersitatem. Prius autem spectabimus dispositionem Iuris Feudalis Communis, demum, quid in Iure Saxonico sit de his constitutum, enarrabimus.

## §. XVI

Cum nunc, ut ordinem seruemus, quaestio illa, ad quem, feudo per mortem ultimi uasalli aperto domino, uel deuoluto ad agnatos, fructus nondum percepti atque pendentes deueniant, decidenda sit ex Iure Clientelari Longobardico, referimus ea, quae constituta sunt, *II. F.* 28. *§. his consequenter:* „ Quidsi Vasallus decedat sine herede masculino, et contingat feudum ad Dominum reuerti, sic distinguitur, quod si ante Martium, omnes fructus illius anni ex feudo prouenientes ad Dominum pertinent. Si uero post Calendas Martii usque ad Augustum, omnes fructus, qui interim percipiuntur, ad heredes Vasalli pertineant. Si uero post Augustum, omnes fructus anni percipiet dominus. Ingens occasione legis illius inter Iureconsultos agitata, atque a compluribus copiose





se tractata est, controuersia, utrum, si Vassallus sine herede masculino decesserit Augusto, ante Calendas Septembris, fructus feudi pendentes et nondum percepti ad Vassalli heredes pertineant allodiales? an ad novos in feudo successores? Scrupulum mouent uerba legis dictae: *post Calendas Martii usque ad Augustum*: Enimvero magis conuenit, abire in partes eorum, qui has legis uoces de casu, si Vassallus usque ad Augustum *inclusiue* uixerit, et ante Calendas Septembris diem obierit supremum, accipiunt et interpretantur, atque in hoc temporis spatio defuncti Vassalli heredibus, ius colligendi fructus ex feudo prouenientes tribuunt. Extrema enim memoratae illius legis uerba: *Post Augustum omnes fructus anni percipiet Dominus*: hanc nostram, quam diximus et sumus amplexi, sententiam satis atque sufficienter confirmant.

## §. XVII.

Igitur cedunt fructus feudi pendentes et nondum percepti, Vassallo ultimo die Augusti ante Calendas Septembris defuncto, eius heredibus allodialibus. Nec quicquam interest, siue de industrialium, siue de naturalium quaeratur fructuum transmissione, cum fundo feudali adhuc cohaerentium. Sed quid dicendum est de fructibus feudi ciuilibus, qui eius occasione percipiuntur? Verba quidem dictae legis generaliter concepta sunt; At uero credimus, dispositionem illam legalem de fructibus feudi pendentibus industrialibus et naturalibus tantum esse intel-



intelligendam, ideo magis restringendam, quam ad fructus civiles extendendam. Ut ita sentiamus, nos commouet legis illius ratio, ex qua aestimanda est regula generalis. Atque illam positam esse in eo animaduertimus; quia Vassallus Martio decedens ad tempus fructuum quaerendorum et percipiendorum proxime accessit, et, ut *SONSBECKIUS, Tract. Feud. Part. 10.* habito tamen respectu ad terras Italicas, unde haec lex ad nos peruenit, monet, fructus iam eo tempore pullulascere et nasci, et semina proiici in terram solent; praeterea quoque ius Vassallo in fructibus ex re ipsa percipiendis coeptum et competens determinari nequit. Igitur, cum ratio legis tantum pertineat ad fructus ex re a natura productos, uel industria et hominis labore quaesitos, certe apparet, agi in illa tantum de fructibus ex feudo colligendis naturalibus, pariter et industrialibus, minime uero de civilibus, qui feudi occasione percipiuntur. De his enim facili negotio, calculo adhibito, constat atque intelligi potest, quid in dies singulos de illis percipiatur. Inde in fructibus civilibus quidem spectandum est tempus cessionis, sed ita, ut, si Vassallus ante diem solutionis decefferit, habita simul ratione aequitatis, fructus illi inter defuncti heredes et nouos in feudo successores pro rata temporis, per quod uixit Vassallus, diuidantur. *L. 7. §. 1. Solut. matrimon. dos quemadmodum petat. L. 26. de Vfur. j. II. F. 1.*





## §. XVIII

Sed haec sufficiant de Iure Feudali communi. Superest, ut transeamus ad leges domesticas, et, quo iure apud nos Saxones in transmittendis fructibus feudi nondum a Vasallo perceptis, utamur, commemoremus. Etiam hic ordinem seruabimus, atque prius de industrialibus, postea de naturalibus, demum de ciuilibus dicemus. Ad priores quod attinet, pertinere fructus ex agris feudalibus, uiuo adhuc Vasallo, satis, atque rastro subactis, prouenientes, ad Vasalli heredes, si hic ante illorum separationem et perceptionem diem obierit supremum, sufficienter et clare docet *Constitutio Electoralis Saxonica XXXII. Part. III.* Nach denen gemeinen beschriebenen Lehen: Rechten wird diesfalls ein Unterschied gemachet, ob der Lehn-Mann vor dem ersten Tage des Merzens, oder nach dem August Monath verstorben sey. Nach sächsischen Lehen-Recht aber, was die Egde bestrichen hat, und untergebracht ist, bey Leben des Verstorbenen, solches, weilm es des Verstorbenen erworben Gut, auch bey seinen Lehen beschicket worden, folget und bleibet denen Erben, und nicht denen Lehen: Folgern: iungatur Land: X. Lib. II. Art. 58. Agitur illa in Constitutione de fructibus feudi ex fundo feudali adhuc colligendis, nec minus de industrialibus, cum rationem decisionis, in praestita opera Vasalli sitam esse animaduertamus.



## §. XIX

Igitur, quod agrorum a Vasallo factorum et rastro subactorum, pariter et omnes feudi fructus industriales, si hic ante horum perceptionem decesserit, nanciscantur eius heredes allodiales, nititur in veritate. Ex quo simul consequitur, quod ultimi possessoris heredes, si forsan permanserint in feudi possessione, agros interea coluerint, consequerint, atque rastro subegerint, hos fructus ex agris provenientes, non faciant suos. Non enim Vasalli, sed haeredum industria quaesiti sunt, quae ipsis ius, illos percipiendi, non tribuit. Inde hoc emolumentum, pro re nata, ad dominum uel alios feudi successores pertinet. Et, si durante adhuc eorum possessione, iam hos fructus heredes defuncti collegerint atque perceperint, illos feudi successoribus restituere, pariter et his suae administrationis reddere rationes, compelluntur. Accipient tamen impensas in rem factas, cum nemo cum alterius detrimento fieri debeat locupletior. *L. 206. de Reg. Iur.* Quod ipsa exigit ratio naturalis.

## §. XX

Sed fingamus, impediri Vasallum, agrorum culturam tempore conuenienti et solito perficere, atque, cum nunc illam ad finem perducere studeat, diem obire supremum. Poterine eius heres allodialis, non obstante hac lege domestica, illud, quod deest, supplere, agriculturam coeptam a Vasallo absolueret, atque hos fructus partim Vasalli,



falli, partim eius industria quaesitos colligere? Poterit utique; modo maximus labor, uiuente Vasallo, iam fuerit peractus. Dubium mouent memoratae Constitutionis Electoralis Saxonicae uerba: **Was die Egde bestrichen hat, und untergebracht ist bey Leben des Verstorbenen, nec minus ratio legis adiecta; Weils es des Verstorbenen erworben Guth, auch bey seinen Leben beschicket worden:** Equidem non inficiamur, grauiissima haec esse, quae nobis obiici possunt, ita ut fere uideatur, contentum esse debere Vasalli heredem, si ipsi in feudo successor, impensas in rem factas, ne fiat cum aliorum damno locupletior, refundat. *L. 206. de Reg. Iur.* At uero hic casus potius ex aequitate aestimandus est atque iudicandus, quam in ferenda hac Constitutione Electorali Serenissimus Saxoniae Legislatores ipse respexit. Vasallus enim, qui maximum laborem in agris tractandis peregit, nec ualuit ea, quae adhuc ad perfectam eorum agrorum curam pertinere uidentur, absoluere, atque interea decessit, fecit, quod potuit. Praeterea ingens ille, qui, iam uiuo Vasallo, peractus est, labor, magis suadet, ut, regulis aequitatis in subsidium uocatis, fructus illius anni industriales agrorum feudaliu, Vasalli heredi tribuamus allodiali, atque feudi successorem ab horum collectione arceamus. Imo profecto non permittit ratio naturalis, ut illud impedimentum Vasalli, cur finire ex intentione sua nequeat agrorum feudaliu curam, inquam inferat eius heredi conditionem. *L. 74. de Reg. Iur.*



*Iur.* Atque ex his fontibus merito, in defuncti heredum allodialium fauorem, legis extendimus uerba, simul et illis ius, agrorum culturam a Vasallo maxima ex parte iam absolutam perficiendi, fructusque ex his prouenientes anni illius colligendi, concedimus.

§. XXI.

Sed haec de fructibus feudi industrialibus sufficiant. Nunc dicemus de fructibus naturalibus post mortem Vasalli adhuc cum fundo feudali cohaerentibus. Atque de his ita disposuit Serenissimus Saxoniae Legislato*r in Constitutione Saxonica Electorali XXXII. Part. III. die Früchte aber, so naturales genandt werden, als Wiese, wach, allerley Obst und dergleichen, bleiben denen Lehens-Folgern und Grund-Herrn, und nicht denen Erben.* Igitur naturales pendentes spectant ad successorem feudalem. At uero, quamuis huius dispositionis uerba generalia esse inueniamus, non tamen credimus, quod fructus tempore mortis Vasalli pendentes omnes et absque ulla distinctione ad ipsum pertineant. Id enim interdum occurrit, ut fructus hi feudi naturales, tempore mortis Vasalli, minimum intra triginta illos dies, ab obitu Vasalli computandos, maturi existant. Atque hi fructus Domino uel alias in feudo successuro non obueniunt, potius pro iam perceptis habentur, et defuncti cedunt heredibus allodialibus. Arduum certe esset, prohibere Vasalli heredes



heredes ab horum collectione. HARTMANN. PISTOR.  
*Lib. I. Quaest. 24. num. 49.* SCHRADER. *Tract. feud.*  
*II. Part. IX. Partis princip. Sect. III. num. 25.* Nam  
 et illi fructus hominis curam desiderant, saltem aliquam.  
 Interdum etiam, quo melius atque commodius percipi  
 queant, in illos erogatur pecunia. Praeterea uixit etiam  
 Vasallus per maximam anni partem, atque ad tem-  
 pus, in quo hi fructus percipi possint, proxime acces-  
 sit. Tandem et illud satis est expeditum, quod per tri-  
 ginta dies, qui a morte Vasalli sunt computandi, hereditas  
 iacere dicatur. *Land-Recht Lib. I. Art. 22. Weichbild*  
*Art. 24.* In his enim diebus hereditas personam reprae-  
 sentat defuncti, et quod de his fructibus naturalibus in hoc  
 temporis spatio maturum existit, hereditatem auget Va-  
 falli defuncti allodiam. Ad quod demum accedit, quod  
 in fructuum feudi ciuiliu[m] transmissione apud nos Saxo-  
 nes similiter ad diem illum trigessimu[m] respiciamus, ratio  
 autem, cur non pari debeamus uti in fructibus naturalibus  
 iure, deficiat. Igitur certe regulas interpretandi non ex-  
 cedimus, quando hos fructus pro iam collectis habemus,  
 atque defuncti Vasalli heredibus tribuimus.

## §. XXII

Caueat tamen Vasalli heres, ne fructus colligat im-  
 maturos, quando illo tempore, quo posset eos percipere iu-  
 re suo, maturas non existuras, animaduertit. Tantum enim  
 abest, ut existimemus, facere hos suos illo perceptionis  
 reme-



remedio. Boni patrisfamilias non est fructus decerpere immaturos; et heres quoque defuncti allodialis se ita gerere debet in fundo feudali ad alium pertinente, ut huius officia undique conspiciantur. Nec bona fide possidet fructus ille, qui ad decipiendum alterum hos legitime non percepit. Igitur nititur in ueritate, quod fructus ita collectos restituere cogatur successori feudali heres mortui Vassalli. *L. 35. §. 1. Locat. et Conduct. GLOSSA in L. 42. de Vsu et Vsufr. et red. et habit. et oper. per leg. uel fideic. dat. SALYCETVS in Codicem ad l. 5. C. de Vsufr.* Pariter et ipsi teneatur praestare omne, quod interest, cum illud non perceperit, quod fuisset consecutus, si fructus iusto et tempore conuenienti fuissent a re separati fructuaria. At uero hoc ius agendi successoris feudalis contra heredem, qui fructus immaturos collegit, ipsi merito denegamus, quando sunt fructus illius conditionis, ut non minorem praestent utilitatem, quam praestitissent, si fuissent maturi collecti. Idem decidendi iudicium dabitur, si fructus, ut immaturos, tollere, magis expediat. Huc pertinent ea, quae tradit *IAVOLENVS l. 42. de Vsu et Vsufr. leg.* In his enim casibus atque similibus deficit mala fides percipientis. Igitur et ipsius successoris feudalis actio.

## §. XXIII

His positis, superest, ut transeamus ad fructus ciuiles. Atque in his respicimus ad tempus cessionis. Id certe in  
 D hoc





hoc argumento ad disputandum proposito non indiget dubitatione, quod Vasallus fructus ciuiles, quos iusto solutionis tempore percepit, uel petere potuisset, faciat suos, atque ad heredes transferat quoscumque iure successionis. At uero, quod fructus ciuiles, si Vasallus decesserit, antequam dies solutionis cesserit, ad dominum uel successores feudales pertineant, hoc absque distinctione non affirmamus. Quo iure extra Saxoniam in horum transmissione ad defuncti Vasalli heredes utamur, ante commemorauimus. Nostris in terris illius generis fructus, quorum dies solutionis uiuo Vasallo nondum cessit, regulariter obueniunt successori feudali. Atque hoc satis clare apparet ex *Constitutione Saxonica Electorali XXXII. Part. III.* Was aber keine Feld-Früchte, sondern gewisse Lebenden, Früchte und Einkommen auf und aus denen Lehen-Güthern seyn, wenn sie zur Zeit des verstorbenen Lehen-Mannes betragt gewesen, so folgen sie denen Erben. Diximus, quod regulariter ad illum pertineant. Haereditas post Vasalli obitum per triginta adhuc dies, ab eius morte computandos, pro iacente habetur, atque personam repraesentat defuncti. Igitur hoc nihil est uerius, quam quod fructus illi ciuiles, quorum dies solutionis, nondum quidem uiuente Vasallo, tamen post eius mortem, intra trigessimum illum cessit, pro allodio reputentur, atque iure hereditario ad defuncti heredes quoscumque deuoluantur, imo quoque de his disponere queat Vasallus. Audiamus Serenissimum Saxoniae Legislatorem,



rem, his de fructibus disponentem in *Constitutione XXXII. Part. III.* dasjenige so an Zinsen oder Korn: Pächten innerhalb des Dreyßigsten fällig oder betaget wird, gehöret auch denen Erben. At uero, quod non adeo praecise et accurate respiciendum sit, horum in fructuum perceptione et transmissione ad Vasalli defuncti haeredes, ad illam trigesimali computationem, nec modicum, quod hoc spatium triginta dierum excedit, curandum sit, potius, quod fructus illi, quorum dies solutionis etiam post tempus illud, intra paucos tamen dies cedit, simul ad mortui heredes et successores feudales pertineant, atque exigui illius temporis determinatio iudicis sit relinquenda arbitrio, *CARPZOVIUS Iurispr. Forensf. Part. III. Constitut. Elector. Saxon. XXXII. Part. III.* non tradidit solum, sed et iuris confirmavit responso.

§. XXVIII

Sed quid sentiendum est de Hortis. Quod etiam illi in feudum dari possint et soleant, certe non indiget dubitatione. Inde, quo iure in fructibus ex his prouenientibus utamur, nunc dicemus. Pertinent ad casum praesentem uerba *Constitutionis Saxonicae Electoralis XXXII. Part. III.* Da ein Garte bey des Verstorbenen Leben gerodet, gesäet, geharcket, folgen die Garten:Früchte den Erben ic. die Früchte, so naturales genannet werden, als Biesewachs, allerley Obst und dergleichen, bleiben denen Lehns: Folgern und Grund: Herren, und nicht







nicht denen Erben. Igitur hortorum fructus industriales pendentes obueniunt Vasalli heredi allodiali. Et quae in prioribus de hac fructuum specie deduximus, similiter huc possunt referri. Sed dantur etiam Pomaria, **Obst- und Baum-Gärten**, quae fructus tantum efferunt naturales. Atque hi spectant ad successorem feudalem, nisi, ut ante docuimus, tempore mortis Vasalli, minimum proxime et intra trigessimum maturi existant.

## §. XXV

Ab hortis transimus ad Vineas. Enimuero de Vineis hic loquimur, quae uino comparando inseruiunt. Iure Clientelari Communi sancitum est 2. F. 28. §. *his consequenter*: ut, fructus omnes, igitur hoc iure et illi, pertineant ad Vasalli heredes allodiales, si hic post Martium ante Calendas Septembris decefferit. Sed apud nos Saxones respicimus ad diem Urbani. **Land-Recht Lib. II. Art. 58.** ibi: **Am St. Urbans Tag ist Wein-Garten- und Baum-Garten Zehend verdienet**: HARTMANN. PISTOR. *Lib. I. Quaest. 24 n. 93.* RICHTER. *Decision. 56.* Certe etiam eius generis fundi non minores impensas et culturae operas requirunt, quam agri, quare hos uinearum fructus industrialibus communiter accensent. Et maximus labor in Vineis hoc die omnium consensu pro peracto habetur. Inde consequitur, cedere fructus ex hoc fundo prouenientes, adhuc tamen pendentes, Vasal-



Vasalli heredibus, tanquam industriales, si hic die Urbani decesserit. *arg. Constitut. Elector. Sax. XXXII. Part. III. CARPZOV. Iurispr. Forens. ad d. Constit. Def. 8.*

## §. XXVI

Sed feudi fructus non semper singulis colliguntur annis. Interdum enim occurrit, ut tantum post lapsum trium annorum, uel spatii longioris, percipiantur. Quid si igitur Vasallus decesserit, antequam fuerint hi fructus collecti. Hinc quaeritur, ad quem illi pertineant. Verum obueniant successori feudali? An Vasalli defuncti haeredibus allodialibus? In textu Iuris Clientelaris Communis *II. F. 28. uers. his consequenter*: hic casus decisus non est. Agitur ibi de fructibus naturalibus atque industrialibus, qui singulis in annis colligi solent, quod ex eius uerbis, modo haec accurate inspicimus, non difficulter apparet. Nec credimus, quod abhinc aliquod deduci queat argumentum decisionis, atque haec lex aliquo saltim modo applicari ad casum praesentem. Igitur, cum nullibi in Iure Clientelari Communi reperiatur determinatus casus ille, quem ad disputandum proposuimus, superest, ut recurramus ad Ius Civile. *II. F. 1.* Pertinent huc ea, quae *VLPIANVS* ex *Papiniani* libro undecimo *Quaestionum* refert *l. 7. §. 1. 6. 7. Solut. matrim. quemadm. dos petat.* Casus ibi proponitur singularis, qui similis nostro est. Quaedam foemina nupserat uiro *Calendis Octobris*, atque huic in do-



tem dederat uineam tunc temporis plenam uuis. Fructus ex uineto collegerat maritus, et Calendis Nouembris, postquam perceperat fructus, locauerat uineam alii, ad anni spatium, atque in hoc anno uineti locati, et quidem in fine mensis Ianuarii dissoluebatur matrimonium. Inde nunc occurrebat quaestio, utrum, diuortio facto, fructus integros ex uinea initio matrimonii collectos retinere possit maritus, et quale ius ipsi competat in mercede locationis. Iudicauit PAPINIANVS pariter et VLPPIANVS, quod in fructuum illorum diuisione non dici, sed temporis praecedentis ratio habenda sit, quo mulier in matrimonio fuit, atque una, tam fructuum iam perceptorum, quam mercedis locationis, massa constituenda, eaque inter uirum atque uxorem pro rata temporis, quamdiu nempe stetit matrimonium, distribuenda sit. Quare confundi dicitur hac in lege, utilitas percepta uindemiae, et merces locationis anni illius. Iniquum enim esse existimarunt, ut maritus fructus uindemiae retineat, atque simul partem consequatur mercedis locationis. Sed quaeritur, quam diu steterit matrimonium. Durauit per quatuor menses. Ideo in fine memoratae legis, quod ex illa pecunia confusa tertia portio uiro sit relinquenda, statuitur, cum annus hic computetur fundi a die matrimonii contracti, et dotis datae. *d. l. 7. §. 2.* Sed ulterius progreditur VLPPIANVS in *l. 7. §. 6. 7. solut. Matrim. quemadm. dos petat.* et quod in anno dicitur, dici etiam posse in sex mensibus, si bis in anno fructus capiantur, ut est in locis irri-



irriguis, similiter in annis pluribus, ut in sylva caedua, tradit, iungatur *GLOSSA ad d. l. 7. §. 7. solut. Matrim. quemadm. dos pet.* Inde facile nunc est intellectu, quod lex haec ad casum nostrum pertineat. Igitur ex hac lege, causam praesentem decidimus, atque fructus feudi, qui tantum post lapsum trium annorum, uel spatii longioris percipiuntur, si Vasallus interea diem obierit supremum, inter eius heredes allodiales et feudi successores diuidimus.

### §. XXVII

Atque ex hoc fonte petimus decisionis argumentum, quando de piscibus post mortem Vasalli in fundo feudali repertis quaerimus. Non loquimur de piscibus tantum custodiae causa a Vasallo seruatis, quos pertinere ad res Vasalli hereditarias, atque transire ad eius heredes, dubio uacat; *L. 15. de Action. Empt. et Vend. j. l. 3. §. 14. de Acquir. possess.* *GODOFREDVS in dd. LL.* sed potius nobis fermo est de piscibus, qui continentur in stagnis, ut ibi crescant et multiplicentur. Quod stagna non singulis annis, sed plerumque post tres annos, a tempore immisionis computandos, expiscari soleamus, illique tunc fructus ferant, experientia sufficienter docet. Igitur credimus, pisces, si Vasallus intra tempus perceptionis decesserit, distribuendos inter defuncti heredes et successores feudales pro rata. Nam ea, quae *II. F. 8. §. bis consequenter*; traduntur, ut diximus, ad casum praesentem  
non





non spectant, et ratio hic simul habenda est temporis illius, per quod uixit Vasallus. *L. 7. §. 1. 6. 7. Solut. Matrim. dos quemadmodum. petat. SCHRADER. Tract. Feud. II. Part. IX. Partis princ. Sect. 3. n. 71. seq. HARTMANN. Pistor. Lib. I. Quaest. 24. n. 68. CARPZOV. Iurispr. Forens. Part. III. Constit. Elector. XXXII. Def. 26. n. 5. seq.*

## §. XXVIII

Sed *VLPIANVS l. 15. de Action. Emt. et Vend.* pisces, qui sunt in piscinis, nec aedium, nec fundi esse, censuit. Inde quis posset conicere, quod Vasalli heredibus obuenant post eius obitum, nullum autem in his competit ius successori feudali. Atque hoc *VLPIANI* effatum *COLERVM in Processu Executiuo Part. II. Cap. III. n. 316.* commouit, ut casum de piscibus sibi ad decidendum propositum ex hac aestimauerit lege, et hos non ad nouum feudi possessorem, sed defuncti Vasalli heredem pertinere iudicauerit. At uero lex illa potius est restringenda, quam ad omnes pisces in fundo feudali repertos extendenda. Ideo in errore uersatur *COLERVS*, quando hanc legem de omnibus, pariter et illis, qui in stagnis continentur, ut in his crescant et multiplicentur, accipit. Haec enim dispositio legalis, quae inuenitur in *l. 15. de Action. Emt. et Vend.* certe est specialis, et monente *BRUNNE-MANNO* et *GODOFREDO ad d. l. de iis tantum intelligenda* piscibus, qui custodiae causa in aquis seruantur. Atque  
de



de his, quod heredibus defuncti Vasalli obueniant, minime uero ad eius successores feudales pertineant, diximus ante. Sed dantur pisces in stagnis, ut ibi augeantur, quos illis, qui custodiae causa in piscinis comprehenduntur, opponit PAVLVS l. 3. §. 14. de Acquir. et amitt. possess. qui fundi pars sunt, et fructuum pendentium nomine ueniunt, GODOFREDVS ad d. l. 15. de Action. Empt. et Vend. GROENWEGEN de Legibus abrogatis et inusitatis ad eand. Leg. atque sunt distribuendi inter defuncti Vasalli heredes et successores feudales, pro rata temporis, per quod uixit Vasallus. L. 7. §. 1. 6. 7. Solut. Matrim. dos quemadm. pet.

## §. XXVIII

His positus, obseruari meretur Thesaurus in fundo feudali inuentus. Enimuero Thesaurum in fundo, non proprio, sed alieno priuato repertum, inter eius inuentorem et Dominum soli diuidit Imperator LEO. L. un. C. de Thesaur. Igitur de hoc, non Vasallo solum, sed et Domino directo, iuxta hoc legis praescriptum, sua assignanda est atque tribuenda portio. d. l. un. j. I. F. 1. Dominium enim feudi nec soli Vasallo, nec Domino directo, proprium est, sed potius utrique commune. II. F. 8. uers. Rei autem: II. F. 23. II. F. 55. Quapropter ratione Vasalli, pariter et ratione Domini directi, thesaurum in fundo feudali deprehensum, in alieno inuentum, dicimus. Et Vasallus percipit feudi fructus, II. F. 23. in quos ille non computatur. L. 7. §. 12. solut. Matrimon. dos quemadm. petat.

E

§. XXX





## §. XXX

Supereſt, ut expediamus, quantum percipiat Vaſallus de Theſauro in feudo reperto, quantum de illo ad Dominum pertineat. Igitur ponamus, hunc inuenire Vaſallum. Retinebit dimidiam eius partem tanquam inuentor, et portio altera, quam accipit regulariter fundi Dominus, *l. un. C. de Theſaur.* erit diuidenda inter Vaſallum et Dominum. BONACINA *apud Struuium Syntagm. Iur. Feud. Cap. XII. Aph. 5. num. 2.* B. MENCKEN *Tract. Synopt. Pandect. theor. Pract. Tit. Digest. de Acquir. rer. domin.* Dominium enim loci utile, ad Vaſallum, directum, ad Dominum ſpectat, ideo utrique commune eſt. E contrario quando hunc inuenit tertius caſu fortuito, dimidium illius capit inuentor, quod reſtat, aequaliter, pari ex cauſa, eſt diſtribuendum inter Vaſallum et Dominum. Sed a nobis diſſentiunt ROSENTHAL *Synopf. Iur. Feud. Cap. V. Concluſ. 93.* STRVV. *Syntagm. Iur. Feud. Cap. XII. Aph. 5.* qui pro Vaſallo ad excludendum dominum directum diſputant. Vrgent a parte contraria ſtantes, quod ſoli vaſallo obuenant omnia feudi emolumenta et commoda; hinc quoque Theſaurus, adeo ut petere nequeat illius partem Dominus. Sed res ſalua eſt. Theſaurus eſt uetus quaedam deſcriptio pecuniae, cuius non extat memoria. *L. 31. §. 1. de Acquir. rer. domin.* Non fundi conſtituit partem, *d. l. 31. §. 1. l. 3. §. 3. de Acquir. et amitt. poſſeſſ.* nec computatur in fructus, *l. 7. §. 12. ſolut. matrim. dos quemadm. petat.* atque extrinſecus per deſcriptio-



\* \* \*  
 sitionem ad fundum accessit. Dominum non habet, ideo  
 instar rei nullius cedit occupanti, *l. 31. §. I. de acquir. rer.  
 domin.* ita tamen, si in fundo alieno repertus fuerit, ut dimi-  
 diam eius partem nanciscatur loci Dominus. *L. un. C. de  
 Thesaur.* At uero hanc partem capit fundi dominus ex  
 causa dominii, quod ipsi in loco competit, in quo thesau-  
 rus comprehensus fuit. Igitur, cum in feudis hoc sit Va-  
 fallo et Domino directo commune, certe apparet, nec Do-  
 mino suam esse denegandam portionem. Et quod uasallo  
 de thesauro tribuitur, pleno ad ipsum pertinet iure. Est  
 enim portio rei nullius, *l. 30. l. 31. §. I. de Acquir. rer. dom.  
 et donum fortunae. L. 63. §. I. eod.*

§. XXXI

Sed nunc nos conuertimus ad ea, quae Vasallus in  
 fundo feudali extruxit, pariter et res ceteras, ex quibus  
 melius factum est feudum. Iure Clientelari Comuni  
 cedunt aedificia beneficio imposita, pariter et feudi  
 meliorationes, post mortem Vasalli, eius heredibus.  
*II. F. 28. §. si Vasallus:* Nec ueniunt illae in com-  
 pensationem cum fructibus, quos Vasallus ex feudo  
 percepit. Ea enim, quae PAPINIANSVS in *l. 48. de  
 Rei Vind.* de bonae fidei possessore tradit, nequeunt  
 extendi ad casum praesentem. Nam Dominium utile,  
 quod Vasallo in beneficio competit, et ui cuius fructus  
 feudi collegit, hanc compensationem non admittit. Acce-  
 dit, quod non prius in causa feudali ad Legem Ciuilem fit  
 recur-



recurrendum, nisi in Iure Feudali non fuerit casus decisus. *II. F. 1.* Verum de hoc sancitum est *II. F. 28. §. si Vassallus*: Atque haec lex tribuit Vassalli heredibus ius aedificium feudo impositum uel tollendi, uel pretium meliorationis petendi, et hac in parte concedit electionem successori feudali.

## §. XXXII

Sed qualem praestabit aestimationem rei melioratae, si ad hanc se obstrinxerit, feudi successor. Vtrum teneatur soluere, quod fuit impensum, an uerum rei pretium, non sine causa quaerimus. Repetimus argumentum decisionis a *l. 38. de Rei Vind.* Ita enim CELSVS loquitur: „ In „ fundo alieno, quem imprudens emerat, aedificasti, aut „ conseruisti; deinde euincitur: bonus iudex uarie ex personis causisque constituet. Finge et Dominum eadem „ facturum fuisse: reddat impensam, ut fundum recipiat, „ usque eo duntaxat, quo pretiosior factus est, et si plus „ pretio fundi accessit, solum, quod impensum est. „ Igitur soluet successor feudalis Vassalli defuncti heredibus, quod fuit impensum, si res meliorata adhuc sit tantae aestimationis, uel etiam expensis in rem factis pretiosior. At uero, si plus fuerit a Vassallo erogatum, quam inde res pretiosior existit, id saltem praestabit, quantum pretii rei accessit. HARTMANN PISTOR. *L. I. Quaest. 42. n. 16.*

## §. XXXIII

Nunc res in eo uersatur, ut dispiciamus Leges Saxonicas



xonicas. Atque hoc certe est expeditum, quod apud nos Saxones aedificia, a Vasallo in fundo feudali exstructa, semper ad successorem feudalem pertineant, et, quod maximum est, heredibus Vasalli impensas in rem factas restituere non teneatur nouus ille feudi possessor. Prouocamus ad Constitutionem Electoralem Saxoniam XXXI. Part. III: *Die weilsn aber dagegen die sächsische Lehen Rechte klahr verordnen, daß die Gebäude, so auf den Lehen Grund gefest, dem Lehen Herrn, oder denen Lehenfolgern auf den Fall ohne einige Erstattung, mit dem Lehen Grunde bleiben und zukommen sollen, und wir uns diese Meynung also gefallen lassen, so sollen auch unsere Hofgerichte, Juristen-Facultäten und Schöppen Stühle nach denen Landüblichen sächsischen Rechten in solchen Fällen erkennen und sprechen.* Iungaur Land-Recht Lib. II. Art. 21. Atque hanc Constitutionem CARPZOVIVS, *Iurisprud. Forens. Part. III. Constit. Elect. XXXI. Defn. 1. 2.* cum in illa de aedificiis in genere disponatur, similiter haec uerba: *dem Lehen Herrn, oder denen Lehenfolgern: inueniantur, de omnibus aedificiis, utilitatis uel uoluptatis causa exstructis, accipit, pariter et ad casum, si filius patri in feudo succedat, extendit.*

§. XXXIIII

At uero ponamus Vasallum imposuisse fundo feudali Molendinum quoddam Pneumaticum. Hic occurrit quaestio uexatissima, num haec nostra Constitutio, cuius





fecimus mentionem etiam ad has molas pertineat. Atque in hac decidenda sequimur partes eorum, qui illam affirmant. Agit memorata lex Saxonica de aedificiis uniuersis fundo feudali impositis. Igitur etiam de Molendinis, qui agitantur uento. Concinne quoque et eleganter docuit *HERINGIVS Tract. de Molend. qu. 8. n. 16.* quod molae alatae rebus immobilibus sint accensendae. Salua enim manente sua substantia, de loco in locum moueri nequeunt, cum, nisi firmiter cum fundo cohaereant, nequeant praestare usum. At uero destructae, eum in finem, ut transferantur in alium locum, nomen molendini non retinent. Praeterea etiam dicta haec Constitutio non de aedificiis solum loquitur illis, quorum stipites in terram defossae sunt, sed de omnibus, quae fundo impositae sunt: **Daß die Gebäude, so auf den Lehens-Grund gesetzt 2c.** Igitur, credimus, sufficienter apparet, quod memoratae legis uerba similiter possint extendi ad molendina illa pneumatica fundo feudali imposita. Sed clarius de his dispositum est in Decisione Electorali Saxonica *LIII: Nachdem aber in unserer Constitutione 31. Part. III. klahr versehen, daß die Gebäude, so auf den Lehens-Grund gesetzt, dem Lehens-Herrn und Lehens-Folgern zusamt den Grunde verbleiben sollen: die Wind-Mühlen auch, wann sie nicht auf denen Erb-Stücken befindlich, als Erdfest und an stipite eingesencket, vor ein Lehens-Pertinenz zu achten: So haben sich auch derselben nicht die Land-Erben, sie könnten denn ihre Berechtigung in andere We-  
ge*



ge beybringen, sondern die Lehen-Folger, hinführo anzumaassen, und unsere Facultäten und Schöpffen-Stühle sich also darnach zu richten. Inde transeunt molae alatae cum feudali fundo, cui impositae sunt, ad successores feudales. Imo profecto his ita obueniunt, ut defuncti heredibus allodialibus pretium rei praestare, aut impensas in rem factas restituere non teneantur. Qua in parte asertimur *TITIO Iur. Privat. Lib. XI. Cap. XIX. §. 38.* In Constitutione enim Saxonica Electorali XXXI. Part. III. expresse sancitum est, quod omne aedificium, fundo feudali impositum, nouum sequi debeat successorem in feudo, absque ulla pretii et expensarum refusione. Atque haec lex pariter est, uti ante monuimus, accipienda de Molendinis, qui agitantur uento. Ad quod demum accedit, quod Serenissimus Saxoniae Legislato in Decisione Electorali LIII. expresse se referat ad Constitutionem Saxoniam XXXI. Part. III. ideoque illa Decisio magis declarationem contineat legis prioris, quam lex noua dicenda sit.

§. XXXV

Enimuero, quamuis hoc iuri conueniat nostro, ut aedificia, quae feudo imposuit Vasallus, cum ipso feudali fundo transeant ad successorem, cui post fata Vasalli hic obuenit, tantum tamen abest, ut existimemus, pari utendum esse iure in reliquis feudi meliorationibus. Igitur recte sentit *HARTMANN. PISTOR. Part. II. Quaest.*





Quaest. 42. num. 39. BERLICH. Part. III. Conclus. 42.  
 num. 27. CARPZOV. Iurisprud. for. Part. III. Const. E-  
 lect. 31. Defini. 3. qui successores feudales, ad pretium reli-  
 quarum meliorationum praestandum, obligatos censent.  
 Nulla enim expressa nostris in terris prodiit lex, quae hac  
 etiam in parte derogavit Iuri Clientelari Communi. At-  
 que illa de aedificiis fundo feudali impositis edita Con-  
 stitutio Saxonica Electoralis, tanquam singularis et exor-  
 bitans, ad casus alios non expressos extendenda haud est.  
 Sed urgebunt a parte contraria stantes, fieri in memoratae  
 Constitutionis titulo, nec minus in eius uerbis initialibus,  
 mentionem uocabuli *meliorationum*. Quod non inficia-  
 mur. Ast in eiusdem uerbis dispositiuis, quae magis in-  
 spicienda et attendenda sunt, agitur tantum de aedificiis,  
 minime uero de reliquis rebus, quibus feudum melius  
 et pretiosius factum est. Praeterea etiam ex primordio  
 legis illius non difficulter apparet, respexisse solum Le-  
 gislatores Saxoniae ad meliorationes feudi, quae simpli-  
 citer sunt per aedium exstructionem. Igitur in tali di-  
 iudicanda causa, dispositio Iuris Clientelaris Communis  
 II. F. 28. uers. *si Vasallus*: in Saxonia uiget, atque, si has  
 meliorationes restituere compellitur successor feudalis he-  
 redibus defuncti allodialibus, lis secundum praescriptum  
 Legis 38. *de Rei Vindic.* deceditur.

## §. XXXVI

Extremo non indiget dubitatione, posse res mobiles  
 cum





cum re immobili dari in feudum, quae, si hoc fuerit factum, cum feudo ad successores feudales pertinent, Vasallo defuncto. ROSENTHAL. *Tract. de Feud. Cap. IV. Conclus. 4.* Sed multoties Vasallus, postquam de beneficio est inuestitus, ut hoc eo commodius et melius uti possit, res in feudum, quae salua manente substantia de loco in locum moueri possunt, transfert. Enimvero hae iure allodiali censentur, et, Vasallo mortuo, ad eius heredes, iure hereditario, deuoluuntur. STRVV. *Syntagn. Iur. Feud. Cap. VI. Aph. 10. n. 6. Aph. 12. n. 2.* Sua enim has comparauit pecunia, quae allodii habet naturam, et surrogatum sapit naturam illius in cuius locum surrogatur, atque quaelibet res iure praesumitur allodialis. Igitur non obueniunt, Vasallo defuncto, successori eius feudali animalia, instrumenta, uel aliae res pretiosae, et quae exornandis aedibus inseruiunt, atque in his uere inueniuntur. Nec lecti in feudo existentes, aluearia apum, retia, canes uenatici, aliaeque res mobiles similes, ad ipsum pertinent. STRVV. *Obseru. Feud. ad Cap. XVI. Syntagn. Iur. Feud. n. 8.* Quare et ad illas extradendas poterit compelli.

§. XXXVII

His positis, adiciemus casum, certe singularem, ad institutum tamen pertinentem. Duxerat Caius Vasallus in matrimonium Meuiam. Fecerant pacta dotalia, atque in his simul pepegerant, ut Meuia summam mille florenorum Caio marito inferret. Hic Meuia constituerat dotalitium. Enimvero Meuia sibi simul in his prospexerat pactis dotalibus, ut uera dotis illatio non fieret prius, quam

F

ratio-



ratione illius ipsi fuisset constituta in feudo hypotheca. Accedunt Caii simultanee inuestiti, atque suum, pariter et Domini, consensum in huius expressi pignoris constitutionem non promittunt solum, sed etiam ipsa subscribunt pacta dotalia. Ast fidem datam adimplere differunt simultanee inuestiti; ideo detinetur Meuia dotem inferre. Interea moritur Caius. Feudum deuoluitur ad simultanee inuestitos. Meuia offert his dotem promissam, et petit dotalium, quod ipsi Decisio Electoralis Saxonica LV. permittit. Simultanee inuestiti dotem oblatam accipere recusant. Lis oritur inter ipsos. Condemnantur simultanee inuestiti secundum petita Meuia. Interim euenit, simultanee inuestitos premi aere alieno, creditores instare, exigere nomina, ac, cum soluendo non essent, prouocare ad concursum. In termino Liquidationis comparet cum ceteris Meuia, Caii uidua, et petit dotalium. Fertur sententia, et cuilibet creditori suus assignatur locus, cumque postea causa ad Summum Prouocationum Iudicium deuoluta esset, pronunciando ita succurritur Meuia, ut ex massa feudali simultanee inuestitorum ipsi ratione dotalium satisfiat, si modo dotem promissam mille florenorum cum usuris a tempore, quo nupsit Caio, inferat ac praestet.

## §. XXXVIII

Placet ipsius sententiae uerba, ut eo liquidius, de quo disputeretur, constet, hic inferere. *Die N. wenn sie zu förderst die 1000. fl. Ehegelder, ihrem Erbieten nach zur Concurs-Masse würcklich bezahlet, mit denen jährlichen Zinsen hiervon, 5. von 100. gerechnet, ingleichen mit denen*





nen Zinsen von 1000. fl. Gegenvermächtniß, jährlich 10. von 100. von Zeit des Absterbens ihres vorigen Ehemannes N. jedoch nach Abzug derer jährlichen Zinsen 5. von 100. von Zeit ihrer damahligen Verehelichung an, bis zu erfolgter Bezahlung derer Ehegelder, auf Lebens Zeit, vermöge erlangter stillschweigender Pfand-Gerechtigkeit, zu lociren, und zu dem Ende ein besonderes Capital auszussetzen. Igitur nunc quaeritur, ad quem pertineant illae dotis usurae? Cum praestandae ueniant a tempore contracti matrimonii, clare apparet, quod sint diuidendae inter simultanee inuestitorum creditores et Caii heredes, quibus obueniunt pro rata temporis, quamdiu Caius fuit in uiuis. Sed cum simultanee inuestitorum nomina sint pro parte feudalia, pro parte allodialia, noua exoritur quaestio, cuiam, ex utrisque, massae, hae usurae iure accenferi queant? Si id, quod res est, dicendum, ad creditores allodiales pertinere uidentur. Hae enim usurae sunt dotis fructus, et, cum retro praestari debeant, pro iam perceptis habendi sunt, quos quilibet uasallus facit suos, siquidem usuras, si fuissent solutae, in suum potuisset usum conuertere, et de eis pro lubitu disponere.

## §. XXXVIII

Casum priorem excipit alius, nec minus notatu dignus. Titius uasallus cum Caia, quam duxerat in matrimonium, acceperat titulo dotis certam pecuniae summam. Pignus Caiae ratione dotis illatae legitime in feudo, quod possidet, constituitur. Fecit Caia testamentum, atque in

F 2

illo





illo scripsit Titium maritum heredem ex assē. Titius fit Caiæ heres, transit ad nuptias secundas, et matrimonium init cum Sempronia. Titius condit ultimam uoluntatem, atque in illa Semproniae omnia sua bona allodialia assignat. Titius decedit, et beneficium, quod tenuit, aperitur Domino. Sempronia petit hereditatem mariti allodiam, atque simul dotem, quam Titius acceperat per ultimam Caiæ, prioris defunctæ uxoris, dispositionem, postulat. Inde nunc quaestio emergit, num Semproniae, praeter Titii hereditatem allodiam, etiam ius comperat, eam dotem poscendi, quam Caiæ in testamento marito olim suo, Titio, reliquerat? Sed huic intentioni leges aperte contrariantur. Adeoque non tenetur Dominus Semproniae soluere dotem, quam Caiæ ante intulerat. Titius enim erat debitor illius pecuniae dotalis, et postea Caiæ, per eius testamentum, extitit heres. Quare nunc creditoris et debitoris obligatio in unam concurrat personam, quod confusio in iure nostro, quae perimit obligationem, dicitur. *L. 71. pr. de Fideiussor. l. 75. de Solut. et liberat. l. 95. §. 2. eod.* Ex quo consequitur, peti non posse a Domino nominis illius solutionem, quod per dictam confusionem iam appareat extinctum. Enimuero, si Titius forte pecuniam Caiæ dotalem erogauerit in feudum, atque hoc adhuc melius et pretiosius existat, et probari queat, repetere pretium meliorationis *II. F. 28. uers. si Vassallus*: non prohibebitur, quod aestimandum est, iuxta *l. 38. de Rei Vindic.* modo pecunia illa non fuerit impensa in aedificium, quod cohaeret cum fundo feudali. Has enim in aedes factas  
im-



impensas ut Dominus Semproniae restituat, obligatio cessat. *Constit. Elect. Sax. XXXI. Part. III.*

§. XXXX.

Sed nunc ad ipsam nos conuertemus feudi separationem ab allodio usumque illius dispiciemus nonnullis in casibus. Nemo vassallorum existit, qui non cum feudo simul et allodium relinquat. At vero leges feudales non unicuique permittunt, ut possit aspirare ad beneficium, sed potius successori habili illud indulgent. Igitur si vassallus relinquit liberos, sexus tam masculini, quam foeminini, accurata tunc erit instituenda separatio. Pariter, si vassallus filias relinquit, uel alios heredes allodiales, et feudum deuoluitur ad eius agnatos uel simultanee inuestitos, non minus allodium a feudo distincte est seiungendum.

§. XXXXI

Eadem opus est separatione in casu, quando ob aes alienum Vassalli, concursus Creditorum excitatur. Interdum enim Creditores illius, cum quibus ratione feudi uel allodii diuersimode contraxit, nomina exigunt sua. Hic igitur cautus Iudex, coram quo concursus pendet, ante omnia laboret, ut, euitandae confusionis ergo, bona, quae ad feudum spectant, et quae contrarie ad allodium sunt referenda, rite secernat, ut quousque singulis queat exinde satisfieri, cognoscatur.

XXXXII

Non raro etiam contingit, ut, successore feudali deficiente, feudum per Vassalli mortem aperiatur Domino, nec minus, ut beneficium ad ipsum, si Vassallus ita in Dominum





peccauerit, ut illud amittere debeat, reuertatur. *II. Feud. 24. uers. Denique*: Recipit igitur his in casibus feudum Dominus deducto allodio. Ex quo rursus patet separationis necessitas. Imo ipse fiscus quandoque urget separationem. Solent enim, ut SCHILTERVS *Prax. Iur. Rom. in for. for. Germ. Exercit. XVI. §. 37.* obseruauit, Vassalli praedia subditorum allodialia uacantia uel derelicta cum feudis suis, malo licet more, coniungere, et immunitatem feudalem aliaque equestria iura ad illa extendere, quod non sine summo Principis, et eius iuris collectandi praecudicio, ceterorumque subditorum incommodo fit, atque peragitur.

## §. XXXXIII

Haec de separationis casibus, plerumque obueniens, attulisse sufficiant. Nunc operae pretium erit, de filio, patri in beneficio succedente, agere, si bona Patris allodialia, ad eius extinguendum aes alienum, non sufficiunt. Num igitur filius succedere in feudo, et abstinere a reliqua Patris hereditate iure queat, restat, ut expediamus? Hoc ipsi nec Ius Clientelare Commune nec Patrium permittit. Igitur non separantur hoc in casu a se inuicem bona, quae diuersae naturae sunt, uidelicet allodium a feudo. Sed ut filius utrumque, beneficium nempe et hereditatem patris retineat, uel utrumque repudiet, constitutum est *II. F. 45.* Quid hoc in casu Saxonica lege sancitum sit ex *Ordinat. Torgau. d. Ao. 1583. Tit. welchergestalt die Agnaten*: sufficienter adparet: *Da aber ein Vater bey seinem Leben das Leben Guth nicht verkaufft, sondern sonsten viel Schuldner hinter sich verliesse, welche mit*



mit Bewilligung des Lehen: Heren auf das Lehen nicht  
 verschrieben, und doch auch am Erbe soviel nicht vorhan-  
 den, daß von demselben die Schuld bezahlet werden möch-  
 te. Auf solchen Fall soll demjenigen, was in Tit. an Agnatus  
 uel filius verordnet, ohne Unterscheid, ob er bey der Be-  
 lehnung der Erben gedacht sey oder nicht, und also in feu-  
 do ex pacto so wohl als in hereditario stracks nachgegan-  
 gen werden, und derowegen nach den klahren Buchsta-  
 ben und Innhalt desselben, die Söhne, wann sie das  
 Lehn erlangen wolten, inallewege auch ihres Vaters  
 Land: Erben, und derhalben schuldig seyn, ihres Vatern  
 hinterlassene Schulden, von den Früchten und Abnützun-  
 gen des Lehen: Gutes zu bezahlen, wann auch gleich der  
 Vater sonst gar keine Erb: Güther nach sich gelassen, oder  
 auch die Söhne ein Inuentarium gemacht hätten: At-  
 que haec lex non compellit solum filios, ut simul succe-  
 dant in reliquam patris substantiam, si cupiant adspirare  
 ad feudum, sed etiam hos obligat, ut debita patris, ex fru-  
 ctibus, qui ipsis obueniunt, feudalibus perimant.

§. XXXXIII

Sed ponamus, feudi fructus non sufficere, ut credi-  
 toribus de his queat satisfieri. Poterit igitur beneficium ta-  
 li in casu Domini consensu uendi, et hanc feudi alienatio-  
 nem filii nullo possunt modo impedire. Eo maxime spe-  
 ctant uerba memoratae *Ordinationis Torgauensis*, quae Se-  
 renissimus Saxoniae Legislato, eodem in titulo, prioribus  
 iunxit: Wir behalten uns aber auch hierüber bevor, da  
 die Abnützung des Lehens so weit, daß die Gläubiger  
 alle





alle darvon füglich bezahlet werden könnten, nicht reichen, und wir aus dieser oder andern bewegenden Uhrsachen, das Leben: Guth solcher Schulden halben eigenthümlich zu verkauffen, für gut ansehen würden, daß uns als dem Leben: Herrn dasselbe in allewege frey stehen, und die Söhne auch solchen Kauff, welcher der väterlichen Schulden wegen, auf unsere Verordnung fürgenommen, sie wären gleich damahls mündig oder unmündig gewesen, zu sechten nicht Zug noch Macht haben sollen.

§. XXXXV

Tandem fingamus, filium abstinere ab hereditate paterna, pariter et, cum sine illa ad patris beneficium adspirare nequeat, repudiare feudum, atque in praeiudicium creditorum parentis, et fraudem huius dispositionis legalis Saxonicae, hoc machinari, ut Creditores decipiantur, et ad simultanee inuestitos deuoluatur beneficium. Verum enim uero ab hoc filii facto aborret Ius Patrium. Laedit enim pietatem et uergit in dedecus patris, atque est contra bonos mores. Igitur, ne hoc ipso Creditoribus patris iniqua inferatur conditio, sed potius fides a debitore data legitime seruetur, sancitum est in *Resolutionibus Graucaminum d. Ao. 1661. Tit. von Justicien: Sachen: Grau. 71. §. Wann er dann*: ut beneficio sequester constituatur, fructus illius in creditorum solutionem impendantur, et simultanenee inuestitus non prius admittatur ad successionem, quam ordinario modo hoc ad illum deuenerit aut debitoris nomina ex fructibus penitus antea fuerint extincta.





01 A 6578

ULB Halle

003 093 190



3

f


Sb.

10/17


Rho ✓











DISSERTATIO  
INAUGURALIS IVRIDICA  
DE  
**ALLODIO**  
EIVSQVE  
SEPARATIONE A FEVDO

21

QVAM  
PRAESIDE  
**GODOFRIDO LVDOVICO  
MENCKEN ICTO**  
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI A CONSILI  
IS AVLAE ET IVSTITIAE AC IN SVMMO PROVOCATIONVM  
IVDICIO CONSILIARIO ANTECESSORE ET COLLEGIORVM  
IVRIDICORVM VITEMBERGENSIUM ATQVE IVDICII PROVIN  
CIALIS IN INFERIORE LVSATIA ASSESSORE  
PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS  
IN AVDITORIO MAIORI  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
AD D. IVN. MDCCXLIII  
DEFENDET  
**FRIDERICVS WINCKLER**  
LIPSIENSIS MISNIC.

VITEMBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD  
ACADEMIAE A TYPIS